

*Juvante DEO!*

DISSERTATIO MORALIS

*De*  
**CRUDELTATE  
IN BRUTA  
ANIMANTIA,**



*Quam*  
 PERMISSU  
 INCLYTÆ FACULT. PHILOSOPHICÆ  
 IN ALMA LIPSIENSI  
 publico Eruditorum examini

*submittunt*

**M.JO.CHRISTIAN.EINIGK,**

Corbsensis Misnicus,  
*P R A E S E S,*

&

**JOHANNES ERDMANN. BIECK**

Mansfeldens.

*R E S P O N D E N S,*

*d. XXX, Novembr. Anno M DCCI.*

*H. L. Q. C.*

---

*L I P S I Æ,*

Literis IMMANUELIS TITII.

Philos.  
c.

204,46

V I R O  
S U M M E R E V E R E N D O ,  
*A M P L I S S I M O A T Q V E*  
EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
**JOHANNI AVENARIO,**  
SS. Theologiæ Doctori, Ecclesiæ Pla-  
viens. Pastori Prim. & totius Diœces.  
Superint. gravissimo,

*AVUNCULO ET PATRONO*  
suo nullo non tempore colendo  
ob innumerabilia beneficia

*Hanc offert dissertationem*


Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden

M. Johannes Christianus Einigk.

# CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

- §. 1. Pauca de nomine crudelitatis.
- §. 2. Definitio ejusdem.
- §. 3. Genus est actio moraliter mala.
- §. 4 Ex scriptura dicta contra crudelitatem in bruta animantia proferuntur.
- §. 5. Locus ex Prov. XII, 10.
- §. 6. Definiuntur bruta animantia.
- §. 7. Bruta animantia sentiunt quidem; sed nulla pollent ratione.
- §. 8. Ex lumine naturae argum. contra hanc crudelitatem. Agit crudelis contra naturam brutorum animantium.
- §. 9. Deus homini jus usufructuarium dedit.
- §. 10. Crudelis nocet societati.
- §. 11. Tyrannidem in homines addiscit.
- §. 12. Adducuntur testimonia gentilium, crudelitatem hanc abhorrentium.
- §. 13. Subjectum nec bestiae sunt,
- §. 14. Definitio Juris Naturae, quam tradunt J. Cti, videtur contraria.
- §. 15. Neque Angeli,
- §. 16. Sed solus homo.
- §. 17. Objectum sunt bruta animantia.
- §. 18. Distinctio inter animalia utilia & damnoſa.
- §. 19. Ratio formalis respectu animalium mansuetorum & ferorum.
- §. 20. Interficiens bestiam pias foveat meditationes.
- §. 21. Ad opposita transimus.
- §. 22. Male Pythagoras statuit à carnibus brutorum prorsus abstinentum.
- §. 23. Testimonia gentilium e sum carnis concedentium.
- §. 24. Nec honore bestiae afficienda.
- §. 25. Adjunctum levitatis.
- §. 26. Conclusio dissertationis.

§. I.



## *Q. D. B. V.*

### §. I



E crudelitate in bruta animantia acturi, notamus non intelligi vitium, quod Seneca Lib. II. de Clem. ad Neron. c. IV. atrocitatem animi in poenis exigendis nominat. Poenis enim soli homines, libera voluntate praediti, non animalia, quorum actiones ex naturali prodeunt determinatione, affici possunt. Unde cum in lege divina Exod. XXI, 28. bos, hominem occidens, lapidari, & jumentum, cum quo homo cubuit, Levit. XX, 15. necari jubetur: occisio illa non habet rationem poenae, sed tantum indicatur, quantum peccatum sit homicidium ab homine commissum, cum sanguinis hominis etiam a bruto repetatur; & jumentum illud in detestationem criminis & ad abolendam rei tam nefandae memoriam interficitur, vid. B. Slevogt. dispp. Acad. p. m. 561. & D. Mayer. de peccatis & poenis brutorum.

### §. II.

Verum est haec crudelitas actio moraliter, mala, qua homo bruta animantia, ad usum divinitus concessa, non alit, laboribus verberibusque excipit, & misere aut merae voluptatis gratia occidit.

### §. III.

### §. III.

Actionem moraliter malam dicimus genus , obser-  
vantes , (1) materiale ( h. e. rationem genericam , quam cum  
actione per se honesta communem habet ) esse actionem li-  
beram , ( h. e. actionem , quam agens positis omnibus ad agen-  
dum prærequisitis , potest exercere & non exercere ) formale  
autem esse disconvenientiam cum natura rationali , qua tali,  
iure que lege Dei æterna ac jure naturali in homine existen-  
te . (2) Actionis nomen non tantum actus commissionis ,  
( hoc est actiones reales & positivas ) sub se comprehendere ,  
sed & actus omissionis ( h. e. omissiones actuum realium , quæ  
tamen involvunt quoque aut supponunt internum actū po-  
sitivum cum mentis , quo judicatur , hanc vel illam actionem  
intermittendam esse , tum voluntatis , propositum videlicet  
de his vel illis actibus omittendis , ) vid. Magnif. D. Heben-  
streit , Praeceptor noster æternum suspiciendus in Philos. mo-  
ral. p. m. 518.

### §. IV.

Et esse hanc crudelitatem actionem moraliter ma-  
lam , non tantum nobis Christianis hominibus sacræ ostendunt  
literæ , sed & ex lumine naturæ , consentientibus gentilibus , sa-  
tis constat . Scripturæ testimonia non possumus non primo  
proferre loco . Reprehenditur Bileamus , quod ter crudeli-  
ter verberat asinam Num. XXII, 28. 32. Mandatum à Deo pa-  
tribus familias datum , ut jumentis præberent alimenta Deut.  
XXV, 4. conf. I. Cor. IX, 9. expresse interdicitur , ne invento  
nido cum pullis mater intercipiatur Deut. XXII, 6. 7. Unde  
etiam Phocylides in Νεθεποῖς monet :

Μηδέ τις ὄρνιθας καλῆς ἀμα πάντας ἐλέσθω .

Μητέρα δὲ σκηνεολίπης , οὐ εχῆς πάλι γένε νεοθήσεις .

h. e. Nullus aves è nido simùl omnes capiat : sed matrem re-  
linquas , ut ab illa rursus pullos habeas . Quam Mosis legem

idololatris oppositam putat Thom. Aquin. provocans ad librum Ægyptiorum, sed valde suspectum, vid. Cleric. Comment. in Pentat. p. 492. Sic ad vitandam crudelitatis speciem hœdus in lacte matris suæ non coquendus Exod. XXIII, 19. Quid? quod lex de quiete jumenti per sabbathū lata Exod. XX, 10. conf. Deut. V, 14. de asino sub onere juvando Exod. XXIII, 5. Deut. XXII, 1. 4. de asino & bove ob imparitatem ad jugum non jungendis Deut. XXII, 10. vid. Joh Stephan. Menochius Lib. V. de Republ. Hebr. c. 7. quæst. 4. p. 472. Homines & jumenta servare dicitur Dominus Psalm. XXXVI, 7. CXLVII, 9. quod in deletione Ninives ipse meminit Jon. IV, 11. nonne hominem deceret è fonte extrahere oves? Matth. XII, 11. & pecora, quæ possidet, curare? Sir. VII, 24. Hinc D. Luc. Osiand. in Habac. II, 7. p. 459. putat hîc causam poenæ divinæ immanitatem in bestias adduxisse prophetam, quando vertit verba וְשָׁר בְּחַטֹּאת יְחִיתָן quia & in jumenta sœviisti, & nihil immanitatis omisiisti, ideo fiet, ut te insanum & in sylvis oberrantem feræ etiam vicissim terreant & perturbent. Verum cum יְחִיתָן non significet terrefaciet te, quod D. Osiander cum B. Luther. videtur putare, hunc locum ita vertendum arbitramur: & præda, quam fecerunt bestiæ, conteret illas ( sc. bestias ) vid. Salom. van Till Phosphor. Prophet. p. 461. qui per bestias intelligit Babylonios. Sunt etiam, qui putant, DEum Exod. XXII, 30. Levit. XXII. 27. propterea præcepisse, ut septem dies bos aut ovis sit cum matre sua, quod alias tam cito à matre tenellum agnum abstrahens esset crudelis. Præcipua autem ratio, cur Deus hoc tempore sibi offerri voluerit, videtur, quod ante octavum diem fœtus nimis fuerit tener & quasi imperfectus.

#### §. V.

Uti autem is, qui jumenta curat, justi nomine insignitur, ita immaniter illa crucians impius appellatur Prov. XII,

10.

10. Quamvis Lyranum Part. III. p. 321. perjumentum servos & ancillas, & Bedam in h. l. proximos rudes & instar jumentorum hebetes, nescio qua ratione motos, intelligere non possumus inficiari.

### §. VI.

Ad probationes ex lumine naturæ desumptas pergendum. Sed antequam id fiat, in naturam brutorum animantium placet inquirere. Sunt bruta animantia animalia, quibus non quidem est ratio, quæ tamen naturæ ductu operationes suas sibi prædefinitas, & omnia ad hominis usum per sensum appetitum & locomotivam facultatem expediunt. Micræl. Lexic. Philos. p. 185.

### §. VII.

Quo magis itaque certum male brutis animantibus dergari sensus vid. Excellentissimi Hardtii nostri Dissertat. de sensatione an in solo fiat cerebro, & de identitate sensationis & cogitationis: eo minus assentiemur bestiis rationalitatem assignantibus. Cujus sententiæ inter alios non paucos est Galenus in Protreptico ap. Selden. Lib. I. c. V. p. 73. 74. qui, distinctione inter λόγον περὶ θεωρίαν & ἐνδιάθετον facta, hunc tribuit brutis. Plures hujus sententiæ patronos, qui bestiis rationē vendicare annisi sunt, tum ex gentilibus, tum hæreticis, tum Christianis allegat B. Thomasius in Phys. c. XXXIX. §. XX. p. 186. Atq; esto, aliquot, quibus natura in primis impensis pullos suos amandi indidit studium, (quale v. c. Ciconiæ, Gallinæ, Pelicano, conf. Aldrovand. de natur. animal. & D. Schraderi simulacra virtutum in brutis animantibus) rationis quædam vestigia mentiri; proprie tamen nihil minus, quam rationem possident. Eleganter B. Thomasius in phys. c. 38. §. 14. p. 184. Concedemus in brutis esse, ut moralium virtutum, sic intellectus quoque ac rationis quædam simulacra ac imitamenta, quæ maximè ex inclinatione cujusque naturali proficiscuntur.

tur. Sic Aristot. in bestiis τὰ μηνηματα τῆς αἰργωτίνης ἔων  
dari affirmat Lib. 9. Hist. Anim. c. 7. p. 1049. E.

### §. VIII.

Quanquam ratione, qua pollet homo, carent animantia  
bruta, nec docilitatis sunt capacia; tamen pro libidine, con-  
tradicente ratione, illis uti, vel potius abuti posse mortalem,  
nunquam concedemus. Ratio enim humana consistit in fa-  
cultate cognoscendi rem in sua natura, & virtus in proposito  
agendi secundum naturam rerum. Quod si igitur contra  
naturam brutorum agamus, actum rationalem egisse haut  
videbimur. Conf. Excellent. Hardtius in Brev. Eth. c. VI. §. 2. &  
in dissert. de off. hom. circa res humana forte non compre-  
hensas §. 29.

### §. IX.

Deinde excelsus totius universi Creator, qui summum,  
absolutum atque infinitum in res à se creatas solus habet Do-  
minium, jus non nisi usufructuarium dedit hominibus. Non  
quia primò mortalium in animantia dominari concessit crea-  
tor, liquido statim consequitur, infinitam licentiam simul in-  
dultam, sunt verba DN. Pufendorf. I. N. Lib. IV. c. III. §. 4.

### §. X.

Accedit, quod qui crudelitatem in bruta animantia exer-  
cet, magnum societati afferat damnum, se proximumque pri-  
vans bonis, ad usum à DEO benignissimè concessis. Nam uti  
singularum interest civitatum, ne quis re sua male utatur, ita &  
in detrimentum universæ mortalium societatis vergit inuti-  
liter & petulanter bruta perdidisse teste Pufend. l. c. §. 6. Ulti-  
litates summas præstare homini animalia quis negabit?  
Quædam enim victui ipsius inserviunt, quædam amictui,  
quædam delectationem, quædam remedia adversus morbum  
adferunt, & denique multa homini in exemplum ac imi-  
tationem prosunt.

### §. XI.

## §. XI.

Observandum porro & hoc, hominem in bestias sæviens ab humanitate, ad mores feros, immanemq; naturam defiscere, nec socii calamitatibus vexati misereri. Ut contra, qui exerceatur in affectu misericordiæ erga animalia magis disponitur ex hoc ad misericordiæ affectum erga homines, annotante Thom. Aquin. I. 2d. quæst. 102. art. 6. ad Octavum. Sic Pythagorici τὴν τελείαν πορεότητα μελέτην ἐποίησεν Φιλανθρώπος καὶ φιλοκτήμον<sup>ς</sup>, mansuetudinem erga bestias fecerunt meditationem amoris & misericordiæ erga homines, Porphyrius Lib. II. de abstinent. Et Tertull. Lib. II. advers. Marcion. c. 17. p. 193. bovi terenti vincula oris remittuntur ad fructum laboris, quo facilius in pecudibus præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur.

## §. XII.

Et hæ rationes gentiles, profanosque homines movere, ut severis pœnis agrestium hominum sævitiam & crudelitatem erga bruta animantia affecerint. Athenienses pœnam ab eo exegisse, qui vivo arieti pellem detraxerat, tradit Plutarch. or. I. de esu carn. fol. 996. Hinc Praxiteles quidam virginis cædebatur. Quin senator, qui passerem ab accipitre fugatum, & in pallio ipsius tutelam quærentem necavit, à collegis tanquam vir pessimus morti traditus, Ursin. Analect. Vol. I. Lib. III. 15. p. 182. Sic Lacedæmonii puerum, qui à teneris coturnicibus oculos eruere audiebat, oculis privarunt, judicantes, hunc tyrannum ac Reipublicæ noxiū fore membrum. vid. Camerar. Hor. subcisi. Cent. I. c. XXI. & Cent. II. c. LXXIX. sq. Merito quoque reprehenditur Pharnuchus Persa. Etenim is, cum forte ipso equitante canis sub equi pedes incurrisset, ideoque equus improviso deterritus, seque extollens Pharnuchum excussisset, famulis mandavit, ut eqvum in eum locum adducerent, ubi Dominum humi straverat, ei-

B

que

que crura cum genibus abscinderent, Herodot. in Polymnia Lib. VII, LXXXIX. p. 411.

### §. XIII.

Subjectum hujus crudelitatis hominem esse dicimus. Quamvis enim nonnunquam & bestias erga suam s̄avire speciem cuivis facile sit in aprico; uti inter elephantos & Dracones, inter boves & lupos, inter serpentem & arancam, perpetua datur pugna, vid. Franz. Hist. Anim. p.m. 45. 70. 872. atamen vitiis contaminatæ crudelesq; dici non possunt. In feris nec virtus nec vitium Aristot. Lib. VII. Eth. Nicom. c.I, p. 106.

A. Et Hesiod. Lib. I. Eργ. καὶ ἡμ. v. 274. sqq.

Tούτῳ γάρ αὐτῷ πόνος νόμον διέταξε Κερονίων.  
Ιχθύς μὲν καὶ θηροὶ καὶ οἰωνοῖς πελεκυῖσι,  
Εσθίων αἱλῆταις, επεὶ δικη ἐστιν ἐπ' αὐτοῖς.

h.e. Namque hanc hominibus legem disposuit Saturnius. Piscibus quidem & feris & avibus volucribus, se mutuo ut devorent, quandoquidem justitia carent. De iis, qui peccare bruta animantia statuunt aut statuerunt, conf. cit. D. Mayer. de pecc. & pœn. brutorum c. III. Inter quos eminent Sociniani, quorum Antesignanus Lib. de stat. primi hom. c. VI. p. 157. Non solus homo, inquit, sed cætera quoque animalia recta via deflexerunt, Quenst. Syst. P IV. de Lege Sect. II. qv. I. p. 23.

### §. XIV.

At si definitionem Juris naturæ, quam Jcti Lib. Digest. Tit. I. §. 3. 4. suppeditant, probemus, non possumus non bruta animantia subjectum & juris naturæ & vitiorum esse concedere. Sic enim apud ipsos obvium est: Jus naturæ est, quod non humani generis proprium, sed omnium animalium, quæ in cœlo, quæ in terra, & quæ in mari nascuntur. Verum per jus naturæ Justinianus non eam naturæ legem, quæ in cordibus hominum post lapsum adhuc reliqua est, sed instinctum naturalem & storgas physicas in homine & animalibus con-

spi-

spicuas intelligit, vid. B.D. Mœbii Theol. can, p. m. 209. conf.  
quoque DN. Pufend. J. N. L. II, c. III. §. 2.

### §. XV.

Neque Angelis tribuimus hoc peccatum. Etenim solus homo à Deo in bruta animantia accepit dominium Gen. I, 28. IX, 2. 3. Et sive species bonos angelos, quos nunquam praæcepta cœlestis Numinis transgredi ex sacra credimus scriptura: sive malos, DEI hominumque perpetuos hostes, consideres, doctrina morali excludendos arbitramur.

### §. XVI.

Homo itaque solus cujuscunque generis potest esse erga bruta animantia crudelis. Et quidem non viri tantum, verum etiam juvenes, puerique ad vitia & peccata, malo ipsis innato, proclives.

### §. XVII.

Objectum hujus crudelitatis statuimus bruta animantia. Sacrum si evolvimus codicem, in dicto, quod supra §. V. adducebamus, invenimus vocem חַנְבָּה, quæ de jumentis seu animalibus cicuribus & domesticis, portandis, vehe- disve oneribus aptis usurpatum, ut sunt bos, asinus equus, camelus. Interea neque cætera excluduntur & mansueta & fera animalia, homini non ut tyranno, sed ut Domino ad usum data.

### §. XVIII.

Nec animalia, damnum mortalibus afferentia, crudeli ratione necanda. Quemadmodum enim bruta animantia homini non noxia fuerunt, (ab initio productionis quoque illa fera rapacia, iracunda, invicem noxia, & quæ nunc talia sunt, fuisse creata, Schott. Physic. curios. Lib. VII. c. XIII. p. 825. affirmat) quamdiu in statu innocentiae persistit, nec fuissent unquam, si in eodem perseverasset: ita post lapsum aliqua, neglecta divina lege, instar punitorum aspicienda. Addo,

B 2

quod

quod res creata uni noxia , alteri maxime sit utilis. Krom.  
Theol. Pos. P. I. p. 220. & Osiandr. Cas. Consc. P. I.  
P. 454.

### §. XIX.

Ad formam ( hoc est rationem formalem) transimus,  
quam ut eo facilius cognoscamus, ad actus ejusdem attenden-  
dum , qui respectu diversorum animalium diversi. Itaque  
ipsa animalia in fera & mansueta distinguimus: Hæc dicimus,  
quæ consortio hominum gaudent, atque ei sine notabiliori  
aliquo resistendi impetu subjecta sunt. Illa sunt, quæ homi-  
nis consortium fugiunt, ejusque dominium detrectant. Qui-  
bus præsuppositis dicimus: crudelis est, qui pecudibus do-  
mesticis non de alimentis prospicit: qui illas nimis continuis-  
que defatigat laboribus: qui verberibus excipit, & misere aut  
meræ voluptatis gratia occidit. Quod autem ad feras atti-  
net, non quidem inficias irem, hominem jure posse aucu-  
pando, piscando aut venando illas captare , verum vehemen-  
ter percutere , & ita v. c. prosequi cervos, ut misere diu terra  
& aqua vexati moriantur, crudelitatem indicare quis negabit?  
Summus creator & conservator contumeliis afficitur, & carne  
ad usum hominum creata nullus ferme frui potest.

### §. XX.

Quare non immerito monet vir quidam & doctrina &  
pietate conspicuus, ut interficiens bestiam pias foveat cogi-  
tationes, & Deo pro Dominio in bruta animantia concessio  
miserens animalium agat gratias. Ajunt quidem diurna  
morte obire animalia , si illorum jam jam necandorum  
quis doleat vicem, neque crudeliter eadem tractet. Sed  
hæc est supersticio nullum plane habens fundamentum. An  
bestiæ intelligunt quærelas hominum? & an lacrymæ mor-  
ti depellendæ sufficiunt?

### §. XXI.

### §. XXI.

Sicut crudelitatem erga bestias reprehendendam censemus, ita nec probamus, multos animalia, vel sibi judicare æqualia, vel eadem supra sortem humanam longe evehere. Non dicam de gravissimo Sodomitico scelere, quod & scriptura sacra & jus naturæ maximè prohibet. Conf. DN. Buddeus de eo quod abominabile est DEO ceu charactere legis moralis §. XXIII. Non dicam de divinatione, cum vel ex extis animalium immolatorum, vel garritu motuve avium de futuris contingentibus prædicere quædam vellent veteres. Adducam temeritatem illorum, qui bestias non necandas, atque à carne abstinentem judicant.

### §. XXII.

Sic vescendum carnibus negavit Pythagoras (conf. Phil. Carol. in animadvers. A. Gell. p. 265. & M. F. Wendelinus in Philos. Mor. Lib. I. c. 16. p. 587.) *μετεμψυχωσιν* h. e. animarum humanarum post mortem in alia, bestiarum quoque, corpora transmigrationem statuens, vid. Laetant. Lib. III. c. 19. p. m. 100. b. sq. ex cuius mente Ovidius Lib. XV. Metam. 88. exclamat:

Heu quantum scelus est in viscere viscera condi.

De aliis, qui cum Pythagora non carne vescuntur, conf. L. Heshus. dogma Pythagor. de abstinentia carnium. Et quid dicam de Turcarum mansuetudine? Quippe sibi superstitioni homines persuadent, se nescio quam promereri gratiam, si in bestias, feles, canes, pisces, aviculas conferant eleemosynam. Itaque volucres necare ipsis est religio easque pretio suo redemptas libertati restituunt, vid. Busbequius Epist. 3. Legat. Constant. p. 132.

### §. XXIII.

Tantum autem abest, ut ab occidendis atque edendis animalibus abhorruerint veteres, ut potius esum carni-

um antiquissimis temporibus usitatum fuisse, vel ex profanis  
liqueat Scriptoribus; ex quibus nominamus Athenæum Lib.  
8. c. i. p. 330. & Ovidium Lib. XII. Metam. v. 154. sqq.

- - - Pars est data cætera mensis.  
Discubueretoris proceres: & corpora tœsta  
carne replent.

Placent quoque Plutarchi verba orat. 2. de esu carn. f. 996. F.  
*'Εδωμενται σοίρης, ἀλλὰ πεινῶντες, & τερόντες. Αναρρήσουμέντοις ζῶον,  
ἀλλ' οὐκτείσοντες, καὶ αλγεῦντες, & χρυσεῖσοντες, & δὲ βασανίζοντες,  
edamus carnes, sed fame, non luxuria impulsū. Interficiamus animal, sed miserentes ac dolentes, non insultantes ac  
excruciantes. Et Autobulus ap. Plutarch. de solert. Animal. fol. 965. B. & οἱ χρώματοι ζώοις αἰδηκόσιν, ἀλλ' οἱ χρώματοι  
βλασφεμῶς οὐδὲ οὐλιγάρχως καὶ μὲν ὀνυμόποιοι, non injuste faciunt,  
qui utuntur animalibus, sed ii, qui hoc faciunt damnoſe, con-  
temtim, & cum crudelitate.*

#### §. XXIV.

Nonnulli bestias in numerum Deorum referunt, illis  
cultum exhibentes divinum. Vespas coluerunt Ægyptii,  
Epiphan. c. 7. Syntagm. art. 6. testudinem Troglodytæ, Plin.  
Histor. Nat. Lib. IX. c. 10. p. 409. & elephantos incolæ regni  
Siam, vid. Abr. Roger. *Eröffnete Thür zum Hendenthum/*  
*P. II. c. 9. p. 332.* Alii si minus religioso, at civili cultu profe-  
quuntur bruta animantia. De Ptoæambatis in Africa refert  
Plin. Histor. Nat. Lib. VI. c. 30. p. 278. quod canem pro Re-  
ge habeant, motu ejus imperia augurantes, vid. Magnif. D.  
Schmidii, Patroni & Præceptoris nostri colendissimi, Disp. de  
Honore brutis non competente.

#### §. XXV.

Certum itaque, quod is, qui in bruta animantia tyran-  
nice agat, vitium committat, & ad iram cœlestem provocet  
Patrem. Interim erga hominem crudelitatem qui exercet,

gra-

gravius peccare, nemo erit, qui fateatur. Hinc magis fuit crudelis Herodes, Judæorum Rex, homines occidens, quam Pharnuchus Persa, cuius §. XII. fecimus mentionem. De Herode cum Augustus Cæsar audivisset, inter pueros, quos interficiendos tyrannus curaverat, filium quoque imperfectum, dixisse fertur, se malle suem, quam filium esse Herodis, Macrob. Lib. II. c. 4. Saturn. At qui omnia, ab hominibus commissa peccata æqualia statuunt, gravius peccare crudelem in hominem, quam sævum in brutum negant. Id quod in Stoicis taxatur ap. Diog. Laert. Lib. VII. p. 304. & quem erraverint Stoici errorem, exinde quoque cognoscimus, quod Justus Lipsius, acerrimus ceteroquin Stoicæ disciplinæ vindex, eandem damnet sententiam Lib. III. Manud, ad Philosoph. Stoic. diss. XXI. p. 360. Argumenta pro inæqualitate peccatorum vid ap. B. Gerhard. T. II. LL. Theol. de peccat. actual. §. 87. p. m. 545. seqq. Ubi & Jovinianos hujus accusat erroris, adducto testimonio Augustini; quos tamen Danæus in August. Lib. de Hæref. c. 82. p. 1008. Pappus in Epitom. Histor. Eccles. p. 307. seq. & B. Kipping. in auctar. ad Pappi Hist. Eccl. p. 203. defendunt, scribentes; peccata omnia in se paria dictum sensu isto, quo peccata omnia natura sua mereri damnationem, constans omnium Theologorum est sententia.

### §. XXVI.

Atque hæc fuerunt, quæ in præfenti proponere & potuimus & voluimus, rogantes, velit benignus lector errata, quis enim sine erratis? condonare, & nos discendi unice cupidos saluberrimis erudire atque informare præceptis. Tibi vero, supremum cæli Numen, sit pro concesso in bruta animalia Dominio Laus, Gloria,  
Honor!

CO-

## COROLLARIA.

1. *Peccatum omissionis est peccatum actuale.*
2. *Datur etiam erga bruta animantia officium.*
3. *Bestiæ deſtituuntur ratione.*
4. *Bestiæ non poſſunt peccare.*
5. *Bruta animantia non poſſunt puniri.*
6. *Non omnia peccata ſunt æqualia.*

